

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Der getröstete Israel Gottes, zum rühmlichen Andencken Des ... Herrn Johann Jost Hartmann Fischers

Fergen, Georg Heinrich

Gotha, 1701

Carmina Generorum Et Filiorum

[urn:nbn:de:bsz:31-2172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-2172)

CARMINA
GENERORUM
ET
FILIORUM.



Justa Tibi, Venerande Socer! persolvere iustus,
 Sentio in hoc vires vix superesse mihi.
 Vix animus patitur tantum à mœrore levare,
 In tenues elegos ut mihi verba fluant:
 Atque oneri huic ultro me succubuisse faterer;
 Si Tua laus à me nunc celebranda foret:
 Si merita, & tituli, meritis illustribus aucti,
 Deberent nostri carminis esse modus.
 Sed taceant laudes, quas præco domesticus affert;
 Nil opus est: ipsæ mille per ora volant.
 In Te vis animi, magnis exercita curis,
 Et mens venturi provida semper erat.
 Hæc est, quæ placuit multis, quæ profuit aulis:
 Inque Deum pietas, in Patriamque fides.
 Tot bona, tot dotes, tot in uno pectore gazæ:
 Fœnore sed tamen est fors minor ipsa suo.
 Quantum profueris, Germania tota loquatur,
 Quæ tulit ex curis commoda mille Tuis.
 Franconiæ Te terra suum sibi vindicat, & Te
 Svevus item, & Saxo postulat esse suum,
 Nimirum in cunctos meritorum dividis æquè
 Nomina, iudicio cultus ubique pari.
 Ergo cruentatis alii mirentur in armis
 Heroas, victo qui decus hoste ferunt:
 At Tu major eras virtutis laude togatæ,
 Consiliisque sagax, eloquioque potens.
 Nempe (quis hoc nescit?) Tua se constantia magnis
 Prodidit in rebus, Tu quoque fortis eras.
 Consiliis defensa Tuis Germana triumphat
 Libertas, & plus Nestor Achille vales.

Mul-

Multis inde salus; sed Tu consumeris Ipse,
 Proficiusque aliis TE terit iste labor.
 Proh dolor! in medio rerum sic concidis actu,
 Ut clangente tubâ Dux super arma cadit.
 Contremuere Tuo non tantum proxima casu;
 Vidimus hoc etiam culmina summa quati,
 Et veluti procerum meruisti vivus amorem,
 Sic Tu principibus nunc quoque flendus obis.
 Hoc satis in laudes; desideriumque potentum
 Omnibus elogiis jam Tibi majus erit.
 Hi Tibi, CHARE SOCER, Tibi publica fama parentat:
 Ast ego privatâ TE pietate colam:
 Et quo TE vivum semper venerabar honore,
 Hoc TE post feros prosequar usque rogos.
 Nulla dies unquam memori mihi pectore demet,
 Quæ Tuus in me olim concumulavit amor.
 Vivet adhuc, vivet meritorum intacta Tuorum
 Gratia, dum vivam, dum memor ipse mei.
 Inque oculis mihi semper eris, vultusque serenos,
 Os blandum & faciles usque videbo manus;
 Atque Tuâ mentem, quod fas, in imagine pascam:
 Hoc saltem nequeunt fata negare mihi.
 Hoc mecum parili faciet Tua Filia sensu,
 Quæ mihi Te potuit conciliare Patrem.
 At Deus illa Tui mihi pignora servet amoris,
 Felicis Sociam progeniemque thori;
 Et memorare Tuos hæc ipsa docebo Nepotes
 Collata in nostram tot benefacta domum:
 Virtutumque sequi vestigia nota Tuarum
 Ut discant, monitor semper & autor ero.

*His beatiss. desideratissimi Dn. Soceri manibus
 parentat*

J. C. ARTOPOEUS, S. Reg. Maj. Boruss.
 ut & Sereniss. Saxo-Naumburg. Consil. Intim.
 huj. Cancellarius. &c.

Eheu

Eheu quam celeri fato Pater optime! linquis
 Nos! & in his terris amplius esse negas!
 O quantam nobis hac lux dedit una ruinam!
 Quam subito facta est gloria nostra minor!
 Hinc vereor nobis ne tanti funera Patris
 Omina majoris sint quoque vera mali.
 Scilicet in terris fors belli plena periculis
 Et rabida febres pestis & ira Deum.
 Felices animæ! quibus hac est scena peracta,
 Æternique patet janua celsa Poli.
 In cælis Perchare Parens, meliore magistro,
 Jam discis, quanti nostra sit emptæ salus:
 Discimus exemplis dum nos juvenesque senesque
 Hoc misera vita claudere sine diem.

Mæstus Ratisbonâ transmittit

EMANUEL a WILLISSEN, S.R.I. Eques.

Sacratissimæ Cæs. Maj. nec non Sereniss. Principis
 Saxo-Naumburgici Consiliarius respée Im-
 perii Aulicus & inrimus p. t. vero ad
 comitia Imperii univërfa legatus
 Plenipotentiarius.

Vita quid est hominum? quid mors? sunt nomina tantum:
 Mors inopina venit, vita caduca fugit
 Longius O FISCHERE Tua ut duraverit ætas,
 Patria tota cupit, mæstus & opto gener.
 Illa Tuis fatis magno privata ministro est
 Ast ego ploro virum, qui patris instar erat.

Mæstissimo animo lugens
 scribit

G. de FORSTER,
 Consiliarius Saxo-Gothanus
 Aula & Regiminis.

Sic

*S*ic fugis ac sedes patrias Pater optime! linquis,
 Mansurus, quo TE fata tulere pia:
 Post exantlatos multos summosque labores
 Optatam requiem jam sine fine capis.
 Qui curas vigiles & crebra negotia norunt,
 Quae patria Patres imposuere Tibi:
 Qui contemplati studium sunt, quod Themis ipsa
 In TE mirata est, jura sacra verens:
 Qui sunt dimensi grave iter quod saepe parare
 Debebas jussus per celebrata loca;
 Otia laudabunt memori resonantia fama,
 Quae tibi concessit fons & origo boni.
 Bina quidem lacrymis maduerunt lumina largis,
 Vulgata est postquam mors Tua Chare Pater!
 Cum meus Anchises, mea spes, pars altera vite
 E vivis abiit; tristia fata mihi.
 Attamen invideo nullus Tibi quae meliora
 Praevideat clemens cuncti potensque Deus.
 Interea certe, dum vivam, fixus in imis
 Sensibus, ut aequum, Tu mihi semper eris;
 In requie maneat, qua, me cum fata vocabunt,
 Sperabo Tecum prosperitate frui.

Hisce
 Praematuram & inopinatam adeoque gemitu &
 ejulatu non satis defendam mortem
 Venerandi DOMINI PATRIS
 amore longe plenissimi
 ex
 Filiali veneratione & observantia prosequi
 voluit, debuit

JOH. FISCHER,
 Capl. Aulicus Duc. Saxo-Isenac.

O Mihi si liceat recolehti fata Parentis
 Dilecti, studio facta referre pari!
 Sanctus erat, Patriæ Studiotus, & arbiter æqui:
 Hinc perstat vitæ post pia fata decus.

JOHANNES GEORGIUS FISCHER,

*Sereniss. Marchion. Brandenburg. Culmbac. Consiliarius
 Legationum & Secretarius Status
 intimus.*

Occidis heu Genitor! Parca Tibi fila secante:
 Occidis, ac mæsto funere merse jaces!
 Atque tuum corpus feralis obumbrat amictus
 Syndonis, & tristes format in exequias!
 O Genitor quantum nunc es mutatus ab illo,
 Quem Francofurtum novimus isse domo:
 Cernere Te reducem sperabat Gotha, domusque,
 Nuncius astitit atrox spem cecidisse refert.
 Nunc hæc spes posita est parva sub marmoris urna,
 Quæ tunc spes Gothæ, spes mea, spesque domus:
 Usque adeo nihil est ex omni parte beatum,
 Et fors humanis ludere rebus amat.
 Lubrica sic cæco fors temperat omnia motu,
 Semper & ambiguas fertque refertque vices.
 Sic ordo sanxit: stadium hoc decurrimus omnes,
 Quod natum est, legem hanc, ut moriatur, habet.
 Mæsta quidem mea mens Dilecti morte PARENIS
 Ingemit, & gemitus pronus in ora cadit.
 Sed bene mi Genitor mutasti, qui Enthea cæli
 Sortitus, mundi despicias inde vices.
 Cumque in perpetuum sublatus ad ætheris oras
 Vivis, & æternum cernis in axe Deum.
 Vivis & in terris, nec rerum fama superstes,
 Dum vehet amnis aquas, Te periisse sinet.
 Ultima verba dabo: Genitor sub marmore salve
 Et tua procumbant molliter ossa; Vale.

FRIEDRIC. ALBRECHT. FISCHER.
 Mor-

Mortem non doleo, nec funera mœsta virorum,
 Quos variis rapiunt fata maligna modis,
 Namque scio hac cunctos mortales lege creatos,
 Post vitam ut redeant in rude principium:
 Attamen haud parvus mordet nunc pectora luctus,
 Tollere quem facilis non medicina valet.
 Multas lugendi causas Tibi dicere possem:
 Accipe sed paucis quod malè pectus, habet:
 Rebus in egregiis moritur vir magnus; obitque
 Hem celeri fato! dignus amore PATER.

*Fata heu nimis acerba cum animo reputans,
 gemit*

HENRICUS BURCKHARDUS FISCHER.

Plerides quanquam dictarent mœsta sorores
 Carmina, queis quererer fata dolenda patris:
 Castalis atque mihi lacrymas suffunderet unda,
 Queis dignè flerem vulnera facta mihi;
 Non tamen aut flentes oculi, aut lugubria verba
 Tristitiam exprimerent, que male membra quatit,
 Hem! stupet infaustis graviter mens turbida fatis,
 Qua me privarunt tam Genitore Bono.

*Hac inter multas lacrymas
 scribebat*

FRIEDRICUS HARTMANNUS FISCHER.

Hem! quantus mœror mortalia pectora vexat,
 Si quod disperdunt fata sinistra bonum?
 Divitias & opes poterit Tibi reddere casus;
 Sed contra mortem nil medicina juvat.
 Heu Patèr occubuit nemo mihi reddet amicum!
 Tu Deus ipse pater Tuque Patronus eris.

*His suum dolorem ex optimi Patris obitu
 conceptum, deplorat*

JOHANN WILHELM FISCHER,
 Ma-

Magnus obit fato Genitor, puer orbis in orbe
 Permaneo, qua spes, quidque mihi auxilii.
 Qualis mœror habet, senior si mortuus ales,
 Implumem pullum, quique volare nequit:
 Talis me miserum luctus percellit, at eheu!
 Quid plorare iuvat? Sæpe querela nocet.
 O Deus alme Parens summi moderator Olympi!
 Ætatem teneram commiserare meam,

His orbitatem suam
 deplorat

FRIEDRICVS LVDOVICVS FISCHER.

